



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XII. Difficultas circa superiorem doctrinam proponitur, eiusque occasione tractare incipit axioma, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

CAPIT. XII.

Difficultas circa superiorem doctrinam proponitur, cuius occasione tractare incipit axiomam illud, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.

¹ ^{Proponitur} ^{difficultas} ^{Ex} dictis in fine præcedentis capitis difficultas nascitur quæ est vna ex potissimis huius materie, & his temporibus valde controuersa. Nam videtur ex dictis sequi, Deum expectare voluntates hominum, vt eos ad fidem excitet, & consequenter dare illis hanc priorem gratiam excitantem ex bono vsu liberi arbitrij naturali: hoc autem est incidere in errorem damnatum Semipelagianorum; ergo. Sequela patet, quia Deus non dat omnibus his infidelibus huiusmodi excitationem supernaturalem ad fidem, quia re vera multi eorum sunt, qui nec exterius audierunt, nec interius senserunt motionem ad adem, nec aliquam rerum fidei apprehensionem habuerunt, & nihilominus dicitur Deus paratus esse ad dandum eis hanc excitationem; & per eos stare, quod illam non accipiunt, & hoc modo dicuntur accipere à Deo auxilium sufficientis ad credendum quantum est ex parte Dei; ergo aliquid Deus expectat ex parte illorum, vt eis hanc gratiam conferat; nam si nihil expectaret, omnibus indifferenter daret: falsitas autem consequentis probatur, primo ex Concilio Arausicano can. 4. Si quis, vt à peccato purgemur, voluntates nostras Deum expectare contendit, reijcit ipsi Spiritui sancto loquiturque de expectatione quoad primam gratiam, quæ præparatur voluntas à Domino, vt statim declaratur, nam ad infusionem subsequenter gratiæ, & formalem remissionem peccati, non est dubium, quin Deus expectet voluntates nostras cooperantes vocationi suæ, vt postea dicemus lib. sequenti. Secundo idem probatur ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. dicente, initium iustificationis sumi à vocatione Dei, quia nullis præcedentibus meritis Deus hominem excitat. Si autem Deus expectaret hominis voluntatem, iam aliquod meritum ex parte hominis præcederet. Tertiò, quia initium supernaturalis sanctificationis esset ex nobis, non ex Deo, quia præcederet ex parte hominis aliqua ratio totius iustificationis.

² ^{Probat} ^{in Concilio} ^{Arausico} ^{et} ^{Tridentino} ⁱⁿ ^{sess. 6. cap. 5.} ^{et} ^{lib. 1. cap. 15. & 16.} ^{pro} ^{viribus} ^{explicauimus} ^{Circa} ^{illius} ^{autem} ^{impugnationem}, necesse non est multum in præsentia immorari, tum quia expressè damnatus est in Tridentino sess. 6. cap. 5. tum, quia in dicto loco loca Augustini, & Prosperi, aliorumque Patrum retulimus, qui ex professo errorem illum impugnant, tum præterea, quia in lib. 2. de prædest. cap. ex professo errorem illum impugnauimus tum denique, quia in his, quæ cum Catholicis disputabimus, asserimus omnia quæ pro hoc errore, vel contra illum deducuntur possunt.

Omissis ergo Semipelagianis, multi ex Catholicis Doctoribus antiquis & modernis, docuerunt Deum aliquibus conferre fidem, vel vocationem, & primum auxilium ad illam excitans intuitu aliquis boni operis naturalis ex viribus naturæ facti: aliis verò non dare tale auxilium, quia nullo modo per bona opera naturalia ad illud se disponunt: quam sententiam olim docuit D. Thomas 2. d. 28. q. vnica, art. 4. ad 4. vbi sic ait, etiam ad fidem habendam aliquis se preparare potest per id, quod in ratione naturalis est: vnde dicitur quod si aliquis in barbaris natus nationibus quod in se est, facit, Deus sibi reuelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittendo. vbi aperte ante omnem excitationem ad fidem ponit præparationem hominis si faciat quod in se est per lumen rationis naturalis. & ita intellexit locum illum D. Thomas Caietanus 1. 2. q. 109. articulo 6. Idemque D. Thomas in eodem 2. d. 5. quæst. 2. art. 1. explicat illud axioma de faciente quod in se est, per vires solius liberi arbitrij, & apertissime q. de verit. art. 11. ad 1. vbi sic inquit, Si aliquis in syluis nutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum quod Deus ei, vel per internam inspirationem reuelaret necessaria, vel ad eum prædicatorem dirigeret. Et idem ferè dicit in solutione ad 2. quem locum ad hoc ipsum allegant Vist. Relect. de perueniente ad vsum rationis p. 3. num. 14.

Eandem sententiam indicat Bonauent. 3. d. 25. s. Bonauent. art. 1. quæst. 2. ad vlt. & Gabr. d. 24. art. 3. dub. 1. Gabr. & alii in fine. clarius Durandus 3. d. 25. quæst. 1. num. 9. antiqui latius Alenf. 2. p. quæst. 112. memb. 8. casu 2. & 3. parte, quæstione 61. aliàs 69. membr. 5. art. 3. vbi quærit an facienti quod in se est infallibiliter detur gratia? & respondet affirmando: in solutione autem ad 6. distinctius explicat dupliciter posse hominem facere quod in se est, vel ante fidem, vel post illam, & omisso nunc posteriori membro de priori ait, in quolibet homine per naturam est ratio recta, & hæc rectitudo est notio boni indita a creatione, & infra, si ergo secundum istam notionem operetur homo suo arbitrio recurrendo ad illum, quem scit suum esse principium, & quem scit esse orandum sibi, & petat ab eo lumen cognitionis fidei & boni, dabitur ei, & sic faciet quod in se est. Et nihilominus ibidem in solutione ad 1. & 3. ait gratiam quæ sic datur facienti quod in se est, merè gratis ac liberaliter, & non ex merito dari. Citatur etiam Altisiodorensis libro tertio summæ tractatu secundo, capite primo, quæstione quinta sed ibi licet indistinctè approbet illud axioma, non declarat hunc sensum, rationes tamen, quibus vtitur, possunt ad illum applicari, & in fine quæstionis addit, licet Deus det gratiam facienti quod in se est, nihilominus sepe dare illam etiam non facienti quod in se est, quod non potest esse verum de gratia sanctificante, loquitur ergo de gratia auxiliante. Allegatur, etiam Alber. in 2. d. 28. art. 1. ad 4. sed ibi indistinctè loquitur, magis videtur de dispositione ad charitatem obtinendam loqui. apertius id docet ibi Richard. art. 1. quæst. 2. dicens posse hominem per sua naturalia cum sola generali motione primi mouentis, quam supponit quælibet actio creaturæ, se disponere remotè ad gratiam gratum facientem, quia dum suo libero arbitrio rectè vtitur, se disponit ad gratiam: necesse est ergo, vt proximè se disponat ad aliquam saltem auxiliantem gratiam. quam sententiam refert & probat Nicolaus de Orbellis in 3. d. 27. & multi alij Scholastici antiqui eodem modo loquuti sunt, ponentes dispositionem aliquam ex naturali vsu bono liberi arbitrij, saltem remotam ad gratiam sanctificantem, & consequenter proximam ad auxiliantem, vt Gabr. Ocham, Scotus, Durandus, quos reuli in lib. 2. de prædest. cap. 17.

Præte-

Præterea ex recentioribus Theologis nonnulli sententiam hanc eodem modo explicatam approbant, ex Thomistis quidem Soto 4. d. 1. q. 2. art. 3. §. ad argumentum ait, *Respondetur ob id Deum gentes condemnasse quod Deum quem naturali lumine cognouerant, non subinde qualiter ius natura inebat coluerint. quod si ius illud natura seruassent, Deus illis altiori fidei radio afflisset ut possent salui fieri.* Similia habet libro 2. de natura & Grat. cap. 12. in fine. Consentit Cano Relect. de Sacramentis in genere p. 2. ad 1. & 2. nec dissentit Victor. ubi supra. Medina 1. 2. variè loquitur. nam in q. 88. art. 6. in solutione cuiusdam secundi argumenti prius videtur negare illud axioma, *facienti quod in se est*, & c. intellectum de faciente quod in se est per vires naturæ, & nihilominus statim addit in infidelis qui Evangelij notionem non habet, *ut puer educatus in syluis perueniens ad vsum rationis bene utatur naturali ratione Deum illuminatum esse illum*, & hanc regulam ponit ut certam ex illo principio quod Deus dat omnibus sufficientia media ad salutem in quaest. autem 109. art. 6. dub. 3. ad 2. prius idem dicit de puero perueniente ad vsum rationis, videlicet in fallibiliter illuminari ad fidem si quod in se, facit per lumen rationis, & addit hoc esse reuelatum in sanctis Scripturis, & inferius dicit esse probabile illud axioma, *facienti quod in se est*, & c. intellectum per vires naturæ, & postea dicit contrarium esse probabilius, quæ videntur repugnantia, nam si est sermo de gratia habituali & iustificante, non solum est probabilius, sed certum, non dari infallibiliter ei, qui facit quod in se est, per vires naturæ, neque contrarium est probabile, ut infra suo loco dicitur: si verò est sermo de gratia actuali illuminante, quomodo est reuelatum in Scriptura quod puer ille bene utens ratione illuminabitur in inspiratione fidei, si illud axioma non est verum, & certum in dicto sensu. Constantius ita intellexit axioma illud, Viguerius in Instit. Theolog. cap. 10. §. 4. dicens auxilium Dei paratum esse facienti quod in se est, id est, si cesset à peccato, & anhelet ad bonum rationis.

Vega.

Corduba.

Driedo.

Ruard.
Molina.

4. Fundamentum huius sententiæ supponit axioma illud, *facienti quod in se est*, esse verum in aliquo se supponit breuiter circa illud notare oportet, tribus modis fieri quod in se est, test enim intelligi de gratia habituali, vel de actuali Deum non de. li concomitante, seu adiuuante, vel de actuali prænegat gratia. Trius modo dis potest intelligi hoc axioma. Primus modus est, si intellectum esse verum, ex D. Tho. prior autem modo esse falsum. quæ doctrina vera

& certa est, ut infra lib. de iustificat. ostendemus. hic autem sensus nihil ad præsentem causam refert, quia non de habituali gratia, sed de actuali auxilio tractamus: est autem aduertendum D. Tho. in illis locis ita principium illud exposuisse, quia de gratia habituali tractabat, & de illa obiectum fuerat: non tamen alios sensus excludit; nec illos ibi attingit, quia necessarij non erant.

Secundo modo intelligi potest in illa propositione nomine gratia auxilium gratia cooperantis cum libero arbitrio; quem sensum indicat Alenf. 3. q. 61. membr. 5. art. 3. ad 5. & respectu talis gratia facere quod in se est, non est preparari ad talem gratiam, neque aliud præuium aliquod facere, quod positò talis gratia conferatur, quia nihil præuium satis est ut gratia cooperans actui nobis infundatur, seu in nobis operetur, quia præter omnem antecedentem dispositionem requirit simultaneam cooperationem nostram, ut ex dictis in lib. præcedenti constat. Debet ergo intelligi de conatu, seu cooperatione simultanea ex parte hominis, ita ut sensus sit, si per hominem non steterit, & quantum in se est conari voluerit, non deerit illi gratia cooperans, ut licet oportet, operetur. Et hic sensus non potest etiam esse verus de faciente quod in se est, per vires solas libertatis, tum quia non potest illo modo conari ad opus gratia cooperantis, qui non fuerit excitatus per gratiam præuenientem, siue excitantem, tum etiam, quia ille met conatus non potest esse naturalis, sed obediencialis, quia debet esse a libero arbitrio eleuato per gratiam, & cum eius adiutorio: debet ergo intelligi de homine vocato succinenter, & sensus est, tali homini non defuturam gratiam auxilij cooperantis, si iste finis conari & cooperari voluerit, & in hoc sensu axioma illud exponit Alenfus citato loco, licet obscure, estque verissimum, quia ut Augustinus dixit, *Deum præparat voluntatem adiuuantem, & adiuvat præparantem*, & c. quod est de se paratus, si per hominem non stet, id est, si cooperari voluerit, & hoc solum per illud axioma sic intellectum, significatur, estque verissimum, ut lib. præcedenti dictum est, & in septimo latius dicitur: non solet aut secundum munitur axioma illud in dicto sensu accipi, sed facere quod in se est, sumitur tamquam præuium quod ex parte hominis antecedit ad gratia receptionem, & hoc modo illud nunc accipimus. Vnde neque hic sensus inseruit instituto, quia non de cooperante auxilio, quod semper est efficax, sed de sufficienti, & præueniente, seu excitante tractamus.

Tertio intelligitur illud principium de gratia excitante, quia vera gratia excitantes plures esse possunt inter se subordinata, quarum vna sit prior seu antecedens, & alia posterior, seu subsequens. Duobus item modis potest intelligi aliquem facere quod in se, ut gratiam excitantem obineat primo bene operando, per priorem excitantem cum illa & per illam, ita faciendo quod in se est, ut vltiorem excitantem gratiam obineat, & hunc sensum indicat Gerson. 4. p. Alphab. 24. litt. M. & Driedo supra, & satis est communis. Secundo bene operando per vires liberi arbitrij ratione naturali excitatas, ita ut sensus sit facienti quod in se est per vires naturæ excitantem gratiam recipere. In priori sensu admitti potest illud principium, quia in eo supponitur gratia, in qua potest fundari aliqua ratio proportionata ad obtinendum vltius auxiliium, quia semper initium boni operis, & totius meriti tribuitur gratia, & ratione illius etiam subsequens excitatio est gratia tamquam gratia pro gratia quod non repugnat: oportet autem in hoc sensu etiam aliquam limitationem adhibere, ut nimirum inter gratias proportio debita seruetur, ut infra

frā in cap. 15. & 16. commodius declarabimus. Verumtamen ne hic sensus ad rem præsentem facit, quia præcipua difficultas est de infideli nondum excitato, nec vocato per gratiam, quia fidei auditum non habuit, & ita non potest per priorem supernaturalem gratiam, sed per naturales vires operari, ut primam excitationem gratiæ supernaturalis habet.

Est ergo ultimus sensus, ut de prima excitante gratia sit sermo, ante quam non potest homo facere aliquid per vires gratiæ, cum illas non habeat; intelligendum ergo erit axioma de faciente quod in se est per vires naturæ, & in hoc sensu intelligunt Doctores citati illud axioma, cum quibus sentit Gerson. 1. p. Alphab. 21. liter. D. dum ait illum facere quod in se est, quia via naturalis rationis facit, quod nouit. Fundamentum eorum fuisse videtur, quia hic etiam sensus est necessarius, ut verum in vniuersum sit Deum dare omnibus hominibus sufficiens supernaturale auxilium ad salutem, nam multi sunt homines qui tale auxilium actu & in se non recipiunt, cum fidei prædicationem, aut reuelationem non habeant; ergo ut Deus aliquo modo det illis tale auxilium, necesse est ut illud offerat homini facienti quod in se est per eas vires quas habet, nimirum per rationem naturalem & libertatem, quia talis homo alias vires non habet, nec Deus consulit illas, nec aliam viam ad illas obtinendas illi præbuit. Constat, ponamus illum hominem facere quod in se est per vires quas habet, hoc enim non repugnat, cum nihil includat superans potestatem talis hominis: tunc vel Deus dat gratiam tali homini, & habetur intentum, vel non dat, & tunc non per hominem, sed per Deum stat quominus homo ille saluetur, quod dici non potest. Item homo ille non potest iuste damnari, quia iam fecit, quod potuit. Denique valde consentaneum est bonitati & prouidentia Dei, ut bene videnti viribus acceptis, maiores præbeat, ut progredi possit: & ita hunc vniuersalem sensum indicat Gerson. 2. p. Alphab. 24. liter. M. dicens, nulli facienti quod in se est, bene videnti donis Dei, iam habitis, deest Deus in necessariis ad salutem, siue illa credenda, siue operanda sint. & consonat quod dixit Nazianz. orat. 2. in laudem Basilij. Deo gratum est quod pro viribus efficitur: ergo pulsimè & sine inconueniente creditur in omni statu hominis viatori facienti quod in se est per vires, quas habet, Deum non denegare gratiam in eo statu necessariam, quod inde non sequitur quod homo mereatur gratiam, sed quod Deus prouideat homini necessitatem patienti. Ethatenus de hac sententia: prius enim quam de illa iudicium proferamus, aliorum opinioniones tractanda sunt.

CAPVT XIII.

Tractatur altera sententia precedenti contraria, negans datam esse à Deo legem dandi auxilium gratiæ facienti quod in se est per vires naturæ ad seruandam legem naturalem.

rentes contrariam doctrinam esse certissimam, omniumque Thomistarum, & aliorum Doctorum, & de mente Augustini, & D. Thomæ, & præcipue negant esse aliquam promissionem à Deo factam, seu legem propter Christum statutam dandi primum gratiæ supernaturalis auxilium homini facienti quod in se est absque auxilio.

Ad hoc autem probandum inducunt Aug. ^{Sententia negans dari à Deo auxilium gratiæ facienti naturaliter, quod in se est.} ^{Probat ex S. Aug.} p. 1. dicentem ex duobus hominibus æquè affectis, Deum vnum illuminare, alium non illuminare, solum, quia ita sibi placet. quod maxime solet exemplo paruulorum confirmare, in quibus non potest assignari differentia vel ex parte ipsorum, quia capaces non sunt, nec ex parte parentum, quia conantibus & desiderantibus parentibus iustis & bonis, interdum non possunt baptizari infantes: & è conuerso licet parentes sint iniusti, & negligentes, Deus prouidet alium modum, quo infans baptizetur & saluus fiat, & idem contingit in adultis, vocat enim Deus interdum iniquissimos transgressores legis naturalis & conuertit: & non vocat moderatos, & seruantes, ut possunt, legem naturalem. Hæc est doctrina & ponderatio citata apud Aug. in libris quos sæpe citauimus lib. 1. ad Simplic. q. 2. præsertim circa finem epist. 107. & optimè 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 22. & sæpe aliàs. Ergo Deus in danda vocatione, vel auxilio excitante non seruat illam legem de faciente quod in se est, ante auxilium gratiæ, nam si eam seruaret, semper vocaret potius obseruatorem legis naturæ, quam transgressores, & si nullum inueniret seruantem illam, vocaret potius minus malum, quam nequiorem, quia est eadem proportio, & ratio, ergo signum est, nullam esse talem legem, nam si esset, Deus seruaret illam, tum, quia non potest negare se ipsum, tum quia respectu Christi ex iustitia obligaretur.

Secundò: doctrina Augustini est, & certa, nullum bonum, quod sit initium salutis, posse à nobis fieri per facultatem liberi arbitrij: si autem esset lex à Deo posita, ut facienti quod in se est per liberum arbitrium, daretur auxilium sufficiens, eo ipso bonum aliquod factum ex natura esset initium salutis: ergo secundum Augustinum nulla est talis lex à Deo data. Maior traditur ab Augustino lib. de prædest. sanct. per totum, & lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 8. & quæst. 2. ad Simplic. & aliis innumeris sæpe citatis, & quod caput est etiam in Conciliis Araus. & Trident. definitur. Minor per se nota videtur, quia posita illa lege necesse est, ut bene videnti libero arbitrio naturali, ratione illius boni vsus detur auxilium gratiæ. Dices non esse rationem, sed conditionem sine qua non. Sed contrà, quia in hac materia hæc duo non separantur, quia conditio sine qua non, licet physicè non sit causa per se, sed per accidens, nec sit propria ratio effectus, tamen moraliter est ratio & causa, præsertim supposita lege, & quasi pacto sub tali conditione, utique dandi auxilium, si feceris quod in te est. Ut ideo sicut respectu totius prædestinationis non potest dari ratio ex parte nostra, ita nec conditio sine qua non. Idem autem est de primo gratiæ auxilio quod de tota prædestinatione. Item aliàs posset dari ratio ex parte nostra, cur Deus hunc vocet, & non illum, quia ad hoc satis est ratione reddere conditionem necessariam: ut v. g. quia hic fecit quod in se est, & non ille: consequens autem est contra Augustinum d. q. 2. ad Simplic. & dicta q. 6. & 8. ex octuaginta tribus, & lib. de spirita & lit. cap. 34. & sæpissimè. Vnde Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 25. aliàs cap. 9. in fine. ^{Prosper.} ^{liberi} profunditas (inquit) illius questionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem consueamus, per